VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE

12

26 A

6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-18. c. 32

49 49
d D
48
52

49. 4. 45.

Digitized by Google

Digitized by Google

RATIONALES
Concluſiones
Ex vniuerſa Philoſophia
Selectiores.

Em.mo ac Reu.mo Principi

S. R. E. CARD:

NICOLAO ACCIAIOLIO

Ferrariæ à Latere Legato.

SACRAE

Com. Hectore Mirolio Ferrarien.
Dicante, ac Propugnante.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

FERRARIAE
Apud Iulium Bulzonum Lilium Thipogr. Epiſc.
Superiorum permiſſu. 1671.

Em.mo ac Reu.mo Principi

S.R.E. CARD.

NICOLAO ACCIAIOLIO

Ferrarię à Latere Legato.

Comes Hector Mirolius.

F.

LEonem, animal plane regium, Regemque Brutorum, pro foribus ædium, Templorumque veteres ſtatuebant; vt illius maieſtate, quaſi præſenti numine ueſtibula tutarentur.

ut illius Omine fælicem in ædes au-ſpicarentur ingreſſum: ut illius no-mine profana Numinum Fana coho-neſtarent. Liceat mihi Eminentiſ-ſime Princeps, ritu ſanctiori a Leo-num tuorum Omine, nomine, nu-mine fælicisſimo Philoſophiæ meæ reſeratas hodie fores auſpicari. Il-lis enim plane Regibus, quia Tuis, pro me ſtantibus, nullius arma per-horreſcam. Illis in veſtibulo hæ-rentibus auſpicatiſsimum mihi diſ-putationis exitum pollicebor. Illis primum meæ Philoſophiæ aditum occupantibus, auſim aliquid meas putare nugas, quibus tantæ Ma-ieſtatis decus accedit. Scitum eſt, ac veterum monumentis per-uulgatum Beſtiarios homines fera-rum immanium furori obiectos non

ſemel

ſemel in Amphitheatro Romano, cum rabidis Brutorum dentibus vndique peterentur, Leonum tutela incolumes ab extremo vitæ diſcrimine prodüſſe. Video me in Ampliſſimo Sapientiæ Theatro ſpectaculum omnium oculis, ſcopum omnium telis, deſignari: Video lunatos in me arcus; triſulca fulmina; vibrantes manus; adſit ergo Leonum Tuorum Eminentiſsime Princeps amicum Numen, & Regia oris Maieſtate, ſacroque Purpuræ fulgore, ab ipſo aditu auerſa, & aduerſa prorſus eliminet. Verum quid ego à Leonibus peto, quod in Te video luculenter expreſſum. Tu, quem auita ſanguinis nobilitas ad hanc Purpuram erudiuit. Tu, qui ſapientiæ adminiculo ad hunc Eminentiſsimum hono-

ris apicem aſcendiſti: Tu, qui ſcientiarum ductu tam æqua Populis iura partiris: Tu, qui è Romano Seminario, hoc eſt bonarum artium ſemine prodijſti; non potes, non amicus literis arridere: non illas ſinu fouere: non ſacra illas Purpura cohoneſtare. Accipe igitur exile hoc magni animi monumentum, maximum exinde futurum, quia Tuo nomine inſignitum, quia Tua Purpura illuſtratum, quia Tuum.

Digitized by Google

INDEX
Concluſionum.

1. *Obiectum materiale, & formale Logicæ ſunt operationes intellectus prout extrinſecè per ipſam rectificabiles.*
2. *Logica ad omnes totales ſcientias perfectè acquirendas eſt ſimpliciter neceſſaria.*
3. *Logica eſt ſcientia practica.*
4. *Non datur ens rationis, ideſt non cognoſcitur obiectum, quod habeat eſſe obiectiuè tantum in intellectu.*
5. *In eadem entitate realiter indiuiſibili datur vera, & ex natura rei diſtinctio formalis inter prædi-*

Vata eiuſdem Metaphyſicæ.

6. *Nullo cogitante intellectu datur à parte rei vniuerſale, quod eſt natura verè vna, & multiplex.*

7. *Dantur à parte rei relationes.*

8. *Relatio tàm tranſcendentalis, quàm prædicamentalis diſtinguitur verè à ſuo fundamento proximo formaliter.*

9. *Poteſt dari relatio tàm tranſcendentalis, quàm prædicamentalis cognitionis, v. g. ſimilitudinis, æqualitatis; &c. ad terminum non exiſtentem.*

10. *Ens eſt uniuocum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis.*

11. *Poteſt vna propoſitio mutari de vera in falſam.*

12. *Vnus indiuiſibilis, & realis actus*

actus poteſt eſſe verus, & falſus.

13. *Poteſt idem actus realis eſſe fidei, ſcientiæ, & opinionis.*

14. *De futuris contingentibus tam reſpectu Dei, quam creaturæ datur determinata veritas, vel falſitas.*

15. *Concluſio ſyllogiſtica attingit tamquam ſuum motiuum formale obiectum præmiſſarum.*

16. *Principia rerum naturalium in fieri, ſeu generationis ſubſtantialis ſunt Materia, Forma, & Priuatio.*

17. *Euidens eſt dari materiam primam, & formas ſubſtantiales. Euidens item eſt dari de nouo generationes ſubſtantiales, & non fieri mutationes ſubſtantiales per reſolutionem tantum, aut atho-*

mo-

rorum, elementorum, aut ſalis, ſulfuris, & mercurij, &c.

18. *Materiam primam cauſare formas ſuſtinemus, ſed modum, quo communiter talis cauſatio explicatur improbamus.*

19. *Materia prima appetit omnes formas determinatè, & nobiliores magis, quàm ignobiliores.*

20. *Materia prima poteſt ſtare ſupernaturaliter ſine omni forma.*

21. *Quidditas accidentis non conſiſtit in eo, quod vel actualiter, vel radicaliter inhæreat.*

22. *Stando rationi non videmus quomodo poſsit efficaciter conuinci qui aſſereret naturaliter poſsibilem ſimultatem formarum totalium in eàdem materia.*

23. *Formæ partiales in viuentibus*

eor-

corporeis, etc. non ſolum non dantur, ſed neque etiam diuinitus dari poſſunt.

24. *Totum, ſeu compoſitum nullo modo diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis.*

25. *Vnio eſt aliquid ſuperadditum extremis, & aliquid diſtinctum ab ipſis, & intima præſentia.*

26. *Repugnat mutua cauſalitas inter cauſas, quarum realis exiſtentia requiritur ad cauſandum ſecundum primum eſſe.*

27. *Non implicat duas cauſas totales totaliter concurrere ad eundem effectum.*

28. *Cauſa habet relationem tranſcẽdentalem ad effectum. Implicante effectu non implicaret cauſa in actu primo ſecundum ſuum eſſe*

abſo-

abſolutum, ſed tantùm prout potentialiter refertur ad effectum.

29. *In qualibet re, vbi peculiaris huiuſmodi repugnantia non apparet, datur potentia obedientialis ad producendum quodlibet, v. g. in aqua ad gratiam, in palea ad Angelum.*

30. *Agentia in cauſando non poſſunt agere indiſtans; immò videtur neceſſarium agens in agendo eſſe debere intime penetratum [vel poſitiue, vel negatiue] cum effectu.*

31. *Accidentia effectiuè attingunt productionem ſubſtantiæ.*

32. *Deus ita concurrit immediatè ad productionem cuiuſcumque effectus producibilis, vt implicet effectum produci, & à Deo immediatè non produci.*

33. *Deus ita concurrit ad omnes actiones etiam liberas voluntatis creatæ, vt indemnem ſemper ſeruet eius libertatem.*

34. *Rationes, ſeu implicantiæ aſsignabiles contra poſsibilitatem infiniti actu categorematici, licet fortaſſe directam reſponſionem, facilem, & euidentem non habeant; illas tamen nihil probare, poteſt demonſtrari.*

35. *Continuum conſtantes ex infinitis, vel finitis indiuiſibilibus habent inſolubilia argumenta, pleraque quorum pugnant eodem modo componentes illud ex ſemper diuiſibilibus, præter alia etiam inſolubilia, quæ in hac ſecunda ſententia reperiuntur, vnde dicimus nullam ſententiam per ſe, & di-*

recte ſuſtineri poſſe.

36. *Præter locum extrinſecum, & locatum datur vbi intrinſecũ ſuperadditũ loco extrinſeco, et locato.*

37. *Vnum corpus poteſt eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis diſtantibus, & adæquatis.*

38. *Vnum corpus poteſt ſpoliari omni vbicatione, ita vt verum ſit exiſtere, & nullibi, ſeu in nullo loco exiſtere. Spectatis ſaltem rationibus, quæ in contrarium afferuntur.*

39. *Tempus ſecundum ſuam rationem formalem, de reali poſitiuo quod dicit, conſtituitur per durationes reales intrinſecas vnicuilibet rei, correſpondentes ſuis negationibus tamquam tempori imaginario, ſed reali, & aliud*

tem-

tempus verè non agnoſcimus.

40. *Sicuti res poteſt abſolui ab omni vbicatione, ita dicimus abſolui etiam poſſe ab omni duratione.*

41. *Intenſio conſiſtit in additione nouæ entitatis ad præcedentem. Remiſsio uerò in amiſsione alicuius partis illius entitatis.*

42. *Gradus, per quos fit intenſio ſunt ſimiles, ſeu homogenei.*

43. *Simile in qualitate, & gradu, non poteſt naturaliter agere in ſimile, ſub eadem ratione, niſi fortaſſe conſeruando.*

44. *Elementa non ſunt formaliter ſubſtantialiter in mixtis perfectis.*

45. *Raritas, & denſitas, conſiſtit in aliqua qualitate, quæ exigit indiſpenſabiliter talem vbicationē.*

46. *Potuit Mundus, & creaturæ*

per-

permanens produci ab æterno.

47. *Non implicat aliqua creatura eſſentialiter indeſtruibilis, in ordine ad diuinum decretum taliter conſtituta.*

48. ***Non implicat creatura habens virtutem natura ſua ad creandũ.***

49. *Spectatis rationibus, quæ in contrarium afferuntur non videtur implicare potentia materialis vitalis cognoſcens obiectũ ſpirituale.*

50. *Ex duobus obiectis, quæ continẽtur ſub eodẽ motiuo formali poteſt uoluntas alterũ affectu odij, alterũ affectu efficaci amoris proſequi.*

51. *Non implicat entitas ita conſtituta, vt ex natura ſua fluiditatem amet; & ut proprio genio deficiat, petatque perire, licet nullo contrario, nec defectu cauſæ impetatur.*

Con-

Concluſiones Philoſophicæ
Selectiores
Iuxta ordinem, quò traduntur in Scholis expoſitæ.

I. *O*Biectum materiale, & formale Logicæ ſunt operationes intellectus prout extrinſecè per ipſam rectificabiles.

RAtio eſt, quia Logica nihil eſt aliud, quàm regula ſciendi, ſeu rectè cognoſcendi, at cùm re-

gula dicat ordinem ad regulabile, ſi Logica eſt regula cognoſcendi, dicet ordinem ad cognitiones, circa quas terminatiuè, ſeu obiectiuè verſabitur. Cum autem circa tales cognitiones, non quomodocumq; verſetur, ſed prout ſunt formale principium rectè cognoſcendi, rectitudo erit motiuum, ratio finalis, ſeu formalis, per quã cognitiones reſpiciuntur. Præcepta igitur Logicalia, quæ tamquã regula ab intellectu agente pertractantur, imperant, ſeu docent (per verbum debet, aut æquiualens) inuenire rectitudinem in cognitionibus, conformem eorum modo docendi, aliaſque non conformes reſpuere. Quod totum optimè explicamus exemplo artis

ſta-

ſtatuariæ, quæ, vt talis, per ſua precepta verſatur tamquam obiectum materiale proximum circa figuras, docens modum illas extrahendi, quæ in immenſo figurarum poſſibilium theſauro regulæ docenti ſunt conformes, inducibiles poſtea ab ipſa artificis manu tamquam in obiectum materiale remotum in lignum, marmor, metallum, &c. indifferens tàm ad rectam, quàm ad obliquam figuram accipiendã; ſic ſanè euenit in ſtatuario Logico figuras intentionales cognitionum Logicæ regulæ conformes inuentas inducente in intellectum patientem, tamquam obiectum materiale remotum, eodem modo ad vtrumque indifferens.

2. *LOgica ad omnes totales ſcientias perfectè acquirendas eſt ſimpliciter neceſſaria.*

RAtio eſt ex ſumma difficultate, quam inuoluit acquiſitio ſciētiarum, & ex imbecillitate humani intellectus, quam à poſteriori aſſiduè experimur; ſicuti enim ſi millies iaciens talos vellet eundem ſemper numerum habere, indigeret aliqua peculiari, & certa regula, ſic à pari euenit in perfectè acquirente ſcientias, circa certas Logicæ regulas.

3. *LOgica eſt ſcientia practica.*

RAtio eſt primò, quia Logica habet plures, & potiores de-

mon-

monſtrationes ex principijs per ſe notis euidenter deductas, quod eſt formaliter (niſi quæſtio fiat de nomine) eſſe ſcientiam; ſi enim ſcientia abſolutè dicenda non eſſet facultas, quoties probabiles aliquos actus includit, neque Philoſophia, neque Metaphyſica ſcientiæ eſſent dicendæ, cum plures Concluſiones includant, tantum probabiliter deductas. Secundo dixi, practicam eſſe Logicã; quia cum cognitio practica per hoc diſcernatur à ſpeculatiua, quod illa ſit cognitio directiua cognoſcentis ad faciendũ ſuũ obiectum, hæc autẽ nequaquã; & cum cognitiones, ſeu præcepta Logicæ ſint huiuſmodi, vt conſideranti patebit; manifeſtè deducitur practicã eſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4. *Non datur ens rationis, ideſt non cognoſcitur obiectum, quod habeat eſſe obiectiue tantùm in intellectu.*

RAtio efficax eſt; quia ſi hoc obiectum cognoſceretur ab intellectu, poſſet de illo aliquid veri affirmari, vt euidens eſt: ſed nihil veri poſſet affirmari; nam ſi aliquid, maximè hoc nempè quod ſi poneretur, verificarentur duo contradictoria, v. g. ſi poneretur Hircocernus, poneretur Hircus, & negatio Hirci: ſed hoc eſt falſum; quia poſito Hircocer[u]o non poneretur prima pars contradictionis, v. g. nõ poneretur Hircus; ergo non poneretur vtraque pars contradictionis; nempe Hircus,

&

& negatio Hirci: antecedens patet, nam non poni Hircum formaliſſimè eſt poni negationem Hirci; ſed poneretur negatio Hirci, vt conceditur, ergo non poneretur Hircus. Neq; dicas, in tali caſu negationē non fore ſolā. Contra enim eſt, nam negationem eſſe ſolā, eſt negationē eſſe ſine Hirco, ſed eſſet negatio ſine Hirco: Probatur, ly ſine Hirco eſt idem formaliſſime, ac negatio Hirci, ſed daretur per te negatio Hirci, ergo daretur ly ſine Hirco, ergo negatio eſſet ſine Hirco, & conſequenter eſſet ſola; & prima pars contradictionis nempe Hircus, non verificaretur in dato caſu, quod eſt demonſtrandum. Adde quod nunc duæ propoſitiones cō-

tradictoriæ eſſent ſimul veræ, & falſæ, vt conſideranti patebit.

5. *IN eadem entitate realiter indiuiſibili datur vera, & ex natura rei diſtinctio formalis inter prædicata eiuſdē Metaphyſica.*

RAtio eſt, quia ibi datur vera diſtinctio, vbi dantur prædicata contradictoria, ſed in eadem entitate dantur prædicata contradictoria, nā homo eſt ſimilis equo. & diſſimilis eidem equo, quod eſt ſecundum aliquam rationem non eſſe ſimilem, iſtam non minus implicat aliquid eſſe ſimile, & diſſimile in eodem ſecundum idem alter in eodem ſecundum idem, quā eſſe ſimile, & non eſſe ſimi-

le; diſſimilitudo enim in illa ratione, in qua eſt diſſimilitudo tollit ſimilitudinem: ſic actus odij Dei in ratione intelligibilis, fundat ſimilitudinem ad intelligibilitatem Dei, in ratione autem malitiæ non fundat ſimilitudinem ad Deum; ſi ergo eſt aliquid in eadē entitate quod vere fundat ſimilitudinem, & aliquid aliud, quod non fundat, inter hoc, & illud debet intercedere vera diſtinctio, ſeu negatio, cum impoſſibile ſit aliquid de eodem ſecundum idem verè affirmari, & negari. Addo, quod in Diuinis, inter intellectum nempe, & voluntatem, & inter ralationes, & eſſentiam, huiuſmodi contradictoria fortius vrgentur.

6. *Nullo*

6. *NVllo cogitante intelle-ctu datur à parte rei vniuerſale, quod eſt natura verè vna & multiplex.*

RAtio eſt, quia verè Petrus, & Paulus non differunt ſpecie, ergo ſunt vnũ ſpecie; ſicuti enim differre, & diſtingui ſunt idem, ſic non differre, & non diſtingui idem ſunt. Quod verè ſint vnũ ſpecie. Probatur, quia per Philoſophum, quæ non habent diuiſionem prout non habent ſunt vnum; cum ergo Petrus, & Paulus ſpecie non ſint verè diuiſi, vnum erunt in ſpecie: quod confirmatur; nam verè Petrus, & Paulus ſunt ſimiles in natura, ſed ſimilitudo fundatur in vnitate, ergo

qualis

qualis erit ſimilitudo, talis erit vnitas; ſed ſimilitudo eſt vera, ergo, & vnitas. Cum igitur talis natura ſit vna, & inſuper in Petro, & Paulo reperiatur diſtincta; erit vna in pluribus diſtincta, ideoque vniuerſalis; cum aliud vniuerſale admitti non poſſit.

7. *DAntur à parte rei relationes.*

RAtio eſt primo, quia omnis creatura habet ordinem ad Deum, à quo eſſentialiter dependet. Secundò quia Perſonæ Diuinæ verè referuntur ad inuicem. Tertio, quia omnis cognitio eſt expreſſa tendentia in ſuum obiectum. Quarto quia paries albus A verè eſt ſimilis parieti albo B, ergo

ergo debet dari ratio formalis propter quam ſit ſimilis, ſicuti datur ratio formalis, per quam ſit albus; ſed talis ſimilitudo eſt relatio, ergo &c. Adde à paritate relationis increatę maxime vrgeri relationes creatas.

8. *Relatio tàm tranſcendentalis, quàm prædicamentalis diſtinguitur verè à ſuo fundamento proximo formaliter.*

Ratio eſt deducta ex vi contradictoriorum, & ex ſeparabilitate vnius ab alio; nam relatio eſt ens relatiuum, fundamentum eſt abſolutũ. Relatio non diſgregat, albedo diſgregat, color terminat viſionem, relatio non ter-

minat viſionem &c. actio, vnio & vbicatio, quæ ſunt relationes, modo ſunt, modo non ſunt in fundamento, ergo verè diſtinguuntur à fundamento; idem enim manens idem ſemper facit idem.

9. *POteſt dari relatio tàm tranſcendentalis, quā prædicamentalis, cognitionis v. g. ſimilitudinis, æqualitatis etc. ad terminum non exiſtentem.*

RAtio eſt, nam de tranſcendentali certum eſt; potentia enim volitiua, viſiua, actiua &c. referuntur ad actus poſſibiles, ſicut & materia ad quaſcumque formas actu non exiſtentes. De prædicamentali autem probatur à pari; nam

nam obiectiones omnes, quę contra hanc fieri poſſunt, manifeſtè retorquentur in tranſcendentalē.

10. *ENS eſt vniuocum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis.*

RAtio eſt, quia ratio entis in ſuo formaliſſimo conceptu dicit v. g. non repugnantiã ad exiſtendum, ſed hoc formaliſſime conuenit tam Deo, quàm creaturæ, ſubſtantiæ, quam accidenti, ergo &c. Neque dicas ens diuinum eſſe independens, infinitum &c. quia hoc nihil obſtat: nam hic nõ conſideramus ens contractum per differentias, ſed formaliter diſtinctum à differentijs, & prout tantum dicit de ſuo formali; nam

alioquin nullæ darentur vniuocæ: patet manifeſtè; nam quæcumque ratio, prout ſaltem contracta cum differentia indiuiduali, differret à quacumque alia, ideoque de nullo verificaretur, quod ratio importata per nomen ſit eadem; ſi ergo conceditur animal eſſe vniuocum reſpectu Petri, & Pauli, eodem iure concedendum eſt eſſe vniuocum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis.

11. *Poteſt vna propoſitio mutari de vera in falſam.*

Ratio eſt, quia propoſitio, quæ dicit: Petrus currit, non neceſſario ſupponit pro determinato, & indiuiduo inſtanti A, ſed

tan-

tantum pro inſtanti ſub ratione generica præſentaneitatis; ſicuti à pari hæc propoſitio: Homo orat in Templo, non ſupponit potius pro Petro, quàm Paulo; Ideoque eadem reſpiciens modo Petrum, modo Paulum, verificatur modo ſecundum Petrum, modo ſecundum Paulum: Igitur propoſitio illa durans per duo inſtantia, ſi in primo Petrus currit erit vera; ſi in ſecundo Petrus non currit erit falſa, cum in ſecundo inſtanti ſupponat pro ſecundo, & in primo pro primo; propoſitio enim tunc ſolũ mutare non poteſt obiectum, quando hoc eſt expreſſum, & ſignatum, non vero quando nõ eſt ſignatum, vt patet in hac; homo orat in Templo. Vrgetur; non

minus

minus reſpicit locum hæc propoſitio: Petrus præſentiatur, quam reſpiciat tempus hæc alia. Petrus præſentaneatur: ſed illa non reſpicit locum determinatum, ideoque eadem inuariata poteſt ſupponere modo pro illo, modo pro hoc; ergo à pari, & ſecunda non reſpiciet tempus determinatum, poteritque modo pro hoc, modo pro illo ſupponere.

12. *VNus indiuiſibilis, et realis actus poteſt eſſe verus, & falſus.*

RAtio eſt primò, quia idẽ actus poteſt eſſe clarus, & obſcurus, vt in hoc actu: Sol lucet, & Petrus currit. Amor, & odiũ, vt in actu deteſtationis peccato-

 rum

rum propter amorem Dei, ergo idem actus poteſt eſſe verus, & falſus. Secundo non repugnat vnicus realis actus tendens diſparatè in duo obiecta v. g. Petrus currit, Paulus ambulat; abſq; eo, quod affirmet copulã, & coexiſtentiam vtriuſque; quemadmodum eadem viſio materialis attingit diſparatè hominem, & equum: & cognitio diuina pariformiter omnes veritates diſparatè ſibi repræſentat. Confirmatur non repugnat actus tendens in plura obiecta, alius copulatiuè, alius diſiunctiuè; ergo neque alius diſparatè? Hoc poſito idem realiter poterit eſſe verus, & falſus, vt patet, ergo &c.

13. *POteſt idem actus realis de eodem obiecto materiali eſſe fidei, ſcientiæ, & opinionis.*

RAtio eſt, quia non eſt abſurdum quod idem realiter ſecundum diuerſa formaliter habeat prædicata oppoſita, quinimmo, mediatè ſaltem, contradictoria: ſic idem actus poteſt eſſe ſimilis, & diſſimilis, ſeu non ſimilis; Amoris, & Odij, vt ſupra dixi; vnde cum idem actus poſſit etiam reſpicere idem obiectum, ſed ſub diuerſis motiuis, & ab his diuerſimodè denominari, vt patet in actu eleemoſinæ traditæ, & propter charitatem Dei, & proptèr miſericor-

-diam: hinc eſt quod idem actus poteſt etiam tendere in idem obiectum, & propter motiuum euidens, & propter probabile, & reuelatum, ſecluſa actuali formidine, ſine quia ſtat eadem radicalis, in qua ſolum conſiſtit conceptus opinionis. Neque obſtat aliquid cognoſci clarè, & obſcurè, nam primo hoc habetur ſecundùm diuerſa motiua; ſecundo hoc habetur per diuerſas formalitates in eodem actu, vnaquæque quarũ attingit obiectum ſub ſuo peculiari motiuo. Tertio, quia in eodem inſtanti Angelus habet cognitionem intuitiuam, nempe claram Dei, qua Deum per proprias ſpecies clarè cognoſcit in ſe ipſo; & in

eodem etiam habet cognitionem abſtractiuã nempe obſcuram eiuſdem, qua ipſum Deum in ſeipſo tamquam ab illo dependente, & in medio obſcuriori cognoſcit. Sic oculus poteſt videre vnum obiectum eodem tempore in duobus medijs, v. g. ſpeculis vno nitidiori, altero minus nitido. Ergo &c.

14. DE *futuris contingentibus tàm reſpectu Dei, quàm creaturæ datur determinata veritas vel falſitas.*

RAtio eſt, quia cognitiones Diuinæ, & propoſitiones reuelatæ in tempore à Prophetis circa futura contingentia, ſunt determinatè veræ, ergo, & propoſitiones

nes creatæ ſunt determinatè veræ vel falſæ: conſequentia probatur à pari, quia omnia argumenta ferè, quæ afferuntur contra veritatem propoſitionis creatæ, militant etiam contra cognitiones diuinas, & propoſitiones Prophetarum; nam illæ etiam ſunt de obiecto liberè futuro, & præcedunt tempore, v. g. exiſtentiam peccati; ergo ſi talia argumenta non impediunt, quo minus illæ ſint veræ determinatè, neque debent impedire quo minus ſint iſtæ. Addo ex duabus propoſitionibus contradictorijs, vnam ſemper neceſſariò eſſe veram, alteram falſam; ſed quælibet propoſitio de futuro contingenti habet ſuam contradictoriam, vt pa-

ret, ergo &c. Neque dicas cognitionem diuinam eſſe veram determinatè, quia futuritio, vel non futuritio obiecti eſt præſens Deo in æternitate, vnde omnes propoſitiones Dei ſunt de præſenti, ſecus noſtræ. Contra enim eſt primò, nam hæc præſentia eſt falſa reſpectu futurorum conditionatorum, in quibus militat eadem ratio. Secundo quia hæc præſentia æquè fauebit veritati determinatæ; nam præſentia requiſita ad verificationem cognitionis eſt in obiecto ex parte ſui, non vero ex parte cognitionis, (hæc enim præſentia ad ſummũ requiritur titulo intuitiuæ;) iam ergo vel obiectum eſt præſens determinatè æternitati, vel non;

 nam

nam in præſentia non datur diſiunctio. Confirmatur, nam vt propoſitio ſit determinatè vera, ſufficit quod habeat determinatam veritatem, ſeu conformitatem cum ſuo obiecto, cuius exiſtentia non eſt neceſſe, quod exiſtat; vt patet à pari in propoſitionibus de futuro neceſſario, quibus nemo negat determinatam veritatem; vt in hac: Eclipſis erit cras: ex quo vrgentiſſimum eſt argumentum ad futurum contingens, ſic & in hac propoſitione de præterito. Adam peccauit: cuius peccatum nunc non exiſtit, & tamen nunc determinatè eſt vera.

15. *Concluſio ſyllogiſtica attingit tamquam ſuum motiuum formale obiectum præmiſſarum.*

RAtio eſt, quia non ſolum proponitur v. g. intellectui euidenter connexio extremitatum inter ſe, ſed etiam motiuum euidens illius, ſcilicet identitas cum tertio, ergo tenetur intellectus aſſentiri & veritati, & rationi illius; nam ſicuti intellectus tenetur aſſentiri veritati euidenter propoſitæ, ita & motiuo, ob quod apparet euidenter; ſicut enim aſſentitur euidentiæ, etiam debet aſſentiri ob motiuum propoſitum euidenter. Confirmatur: intellectus dum elicit concluſionem,

niti-

nititur illi principio (quæ ſunt eadem &c.) ergo illud cognoſcit, ergo propter illius veritatem prædicatum vnit cum ſubiecto, quod per ly: ergo: explicatur.

16. *PRincipia rerum naturalium in fieri, ſeu generationis ſubſtantialis ſunt materia, forma, & priuatio.*

RAtio eſt; quia omnis generatio naturaliter contingens fit per eductionem formæ, ex potentia ſubiecti præexiſtentis, ſed hæc eductio inuoluit in ſuo conceptu formali non ſolum ſubiectum præexiſtens, & formam, quæ educitur, ſed etiam non eſſe talis formæ in tali ſubiecto, ergo &c.

17. *Eui-*

17\. *EVidens eſt dari materiam primam, & formas ſubſtantiales. Euidens item eſt dari de nouo generationes ſubſtantiales, & non fieri mutationes ſubſtantiales per reſolutionem tantum, aut athomorum, elementorum, vel ſalis, ſulphuris, & mercurij, &c.*

RAtio eſt primò, quia nomine materiæ primæ intelligimus partem aliquam ſubſtantialem alicuius totius, ſubiectum primũ vniuſcuiuſque rei, ex quo, vel cum quo fit, & componitur aliquod phyſicum ſubſtantiale completum; quæ inquam pars ſit ex ſe determinabilis ab alia com-

parte ſubſtantiali, ſeu principio formali ad eſſendum vnum eſſe indiſtinctum ab illa. Secundo nomine formæ, ſeu principij formalis intelligimus principium illud, per quod diſtinguimus lignum, v. g. à Leone, auro, &c. prout eſt principium exigitiuum talium, & talium accidentium ſeu operationum. Hoc ſuppoſito dico, quod cum tales formæ appareant nobis de nouo, & certè non creentur (vt ſuppono) & non præfuerint (vt infra euidenter probabo) debent fieri ex aliquo præſuppoſito, ſeu cauſa aliqua ſuſtentante, quæ alia non poteſt eſſe niſi illa, in qua talis forma recipitur, ignis enim, vel Leo dum fit, fit dependenter ab ali-

qua materia, ſeu toto, quod cum non remaneat ſecundum totum; debet remanere ſecundum aliquam ſui partem (quam vocamus materiam primam,) cauſa enim debet exiſtere natura prius, & in illo inſtanti, in quo cauſat; cum autem ſemper cauſet effectum, ſeu formam, rem nempe illam, quam de nouo videmus exigitiuam, & productiuam nouorum accidentium, & operationum (cum nunquam creetur,) ſequitur etiam hanc partem, quam cauſam formarum agnoſcimus, & materiam primam vocamus, ſemper ineſſe & incorruptibilem eſſe. Quod autem hæ formæ, ſeu rationes diuerſificãtes vnam rem ab alia, principia ſcilicet illa exi-

gitiua

gitiua operationum, & accidentium de nouo nobis apparentiũ, de nouo fiant, & etiam corrumpantur, & non tantum ſeparentur, vel de latentibus fiant manifeſtæ, vt inquiunt Chimici, & Athomiſtæ. Probatur & efficaciter; quia ex eo quod etiam in ſententia Athomiſtarum, mobile, ſeu ſubſtantia de non ſe mouente appareat de nouo ſe mouens, & de non cognoſcente, & volente, videatur de nouo cognoſcens, & volens, dicitur verè de nouo fieri motus, cognitio, & volitio, eaque corrumpi, quando amplius non videntur; ergo à pari cum de nouo videatur corpus quod non erat Leo, Leo; lignum quod non erat ignis, ignis;

dicen-

dicendum eſt, & ignem, & Leonem de nouo factum eſſe, & non latuiſſe, cum tam nihil per prius eſſet motus, cognitio, & volitio, quàm Leo, ignis &c. vnde ſi per ipſos poteſt natura ex nihilo trahere ad eſſe, motũ, volitionẽ &c. quare non etiam Leonem, ignem, & alia? Aſſignetur diſparitas; quare ſcilicet tale principium modò declaratum, & corrumpi, & de nouo fieri non poſſit. Confirmatnr primò, quia in vnico inſtanti tota aliqua ingens maſſa corporea (v. g. Leonis) de tota, & totaliter viuente ſecundum omnes ſui partes (vt experientia patet) fit totaliter non viuens, ſi ſubtiliſſima acu cor illius leuitèr transfigatur, & tamen rema-

remanet tota illa maſſa corporea; ergo principium vitæ, & vitalium operationum diſtinctum eſt ab illa maſſa corporea, & combinatione omnium illorum corpuſculorum remanentium; ergo tale principiũ vitæ verè deſtruitur. Probatur primò à pari de motu, cognitione, volitione &c. Secundo ne multiplicentur entia ſine neceſſitate; quænam enim neceſſitas, & ratio eſt dicendi; quod remaneat tale principium, & per ſui conſeruationem, ſemper producatur ſine vlla neceſſitate; cum enim non eſt intra corpus, & actualiter non viuificat corpus organicum, à natura non intenditur, vt patet; & ex alia parte optimè poteſt intelligi tunc

tantum

tantum produci, quando omnia ſunt diſpoſita, ſicuti accidit per aduerſarios in nouo motu &c. quem quidem eſſe aliquid de nouo, & ipſi fateri debent, & manifeſte demonſtratur. Nam ſi independenter ab intellectu nihil eſſet de nouo, eſſent motus, cognitio, & volitio realiter identificata cum ſubſtantia, & conſequenter ſemper illa moueretur, vellet, & intelligeret; idem enim manens idem, ſemper facit idem. Confirmatur ſecundo; nam lux illa maxima, & intenſiſſima, quæ ab ingenti face in aliquo cubiculo bene clauſo in vnico inſtanti de viſa fit inuiſa, abſque dubio [ſicuti & de motu, volitione, & cognitione diſcurrere de-

bent Athomiſtæ) perit & deſtruitur; nam ſi remanet, & tota, quare, vt prius non illuminat? ergo & principium talis lucis perire neceſſe eſt, alioquin ſi remaneret, vt pote agens neceſſarium, ſuos produceret effectus: ſic ſi ignis ex puluere tormẽtario emiſſus prius latuiſſet, quare non diſrumpebat repagula illius granuli, cum ignis tantam habeat vim, vt eleuet magnam molem, tanto magis exiguum puluerem? Adde ſecundum hanc ſententiam omnia eſſe vnum per accidens, ex varijs ſcilicet entitatibus completis, & perfectis; quod non ſolum repugnat rationi, ſed etiam fidei; non minus enim duo homines Petrus, & Paulus poſſunt

facere

facere vnum per ſe, quàm duo elementa, ignis, & aqua, vel duæ athomi &c. Cõfirmatur tandem, quia quando Leo, v. g. moritur, ſpiritus illi animales, quo abeunt? Aſcenduut ne tamquam leuiſſimi vſque ad ſummum Cœli verticem? Quis denuo ad hæc inferiora detrudit? Inſuper equus dum nutritur, amittit ſpiritus animales; vnde nam acquirit alios? Ex herbis? Certè non: herbæ enim & gramina ſpiritibus tantùm vegetabilibus, & non animalibus conſtant. Vnde concludo quod cum aduerſarij ſtando etiam phyſicis rationibus admittere debeant multa de nouo fieri, vt motus, vbicationes, ſeu diſpoſitiones, cognitiones, volitiones bo-

nas, & peccaminoſas &c. non eſſe; vnde & alia, in quibus eadem omninò currit paritas, de nouo etiam fieri denegentur: quo poſito materiam primam euidenter demonſtrari concludendum eſt hoc ſyllogiſmo: Data euidenti productione, & non creatione datur euidenter materia prima; ſed datur euidens productio, & non creatio; ergo euidenter datur materia prima. Adde tandem ſecundum veram Philoſophiam de fide eſſe, animam rationalem eſſe formam corporis; ideoque hoc eſſe quid eſſentialiter perfectibile; & conſequenter dari perfectiuum, & perfectibile, materiam ſcilicet, & formam.

18. *MAteriam primam cauſare formas ſuſtinemus, ſed modum, quo communiter talis cauſatio explicatur, improbamus.*

RAtio eſt, quia talis cauſatio explicatur per hoc quod materia ſuſtinet talem formam; Ideoque talis forma non dicitur creata, quia dependet à materia in ſui ſuſtentatione. Si autẽ quæratur quid ſit formã ſuſtineri à materia: reſpondetur, formam non poſſe conſeruari ſine materia: ſed contra, quia nec materia poteſt conſeruari ſine forma, nec anima ſaltem naturaliter poteſt conſeruari ſine vbicatione, & duratione; nec Angelus ſine operatione

tione vitali, nec anima rationalis in primo inſtanti eſſe poteſt ſine corpore, & tamen hæc omnia creantur. Neque dicas hæc non dependere à priori ab huiuſmodi rebus; ſed tantnm à poſteriori. Contra enim eſt. Nam ſi formæ dependent à priori à materia: alio modo non poſſunt dependere, quam tamquam ab efficienti: ſed cum per te in hoc non dependeant; ſed tantum per hoc, quod ſine materia non poſſint cõſeruari, quod eſt formaliſſima dependentia à poſteriori, quæ ſtat cum creatione, ſequitur tales formas productas creari. Si autem dicas materiam ad formã etiam præſupponi: contra eſt, quia corpus organicum præſup-

ponitur

ponitur ad animam rationalem, & ad aliam formam, quam Deus vellet creare. Immò & ipſa actio ſaltem in priori naturæ præſupponitur ad animam rationalem, Angelum &c. ſicut & locus extrinſecus ad rem locatam. Debet igitur ex parte materiæ aſſignari aliqua peculiaris actio in formam eductam: ne hæc dicatur creari: Aſſignari fortaſſe poſſet ab aliquo actio materiæ coadiuuans in genere efficientis; ſed eſſentialiter obedientis, imperatæ, & determinatæ ab agente principali determinante quò ad exercitium, & ſpecificationem materiam ipſam, tamquam indifferentem, & indeterminatam ad talem actionem

19. *Materia prima appetit omnes formas determinatè: & nobiliores magis, quàm ignobiliores.*

Ratio eſt primò, quia appetitus naturalis nihil eſt aliud, quàm potentia, ſeu relatio ad terminum ſibi conuenientem cum fundamento realiter identificata; cùm ergo nunc materia prima habeat potentiam ad quaſcumque formas in indiuiduo, ſibi ſub diſtinctione coniungibiles, ad omnes nunc habebit determinatã relationem, potentiam, ſeu appetitum, qui ex natura ſua reſpiciat tales formas determinatas; ſed ſub diſiunctione in defectum ſcilicet alterius, quæ quidem

relatio non implicat, cum ſimilis repeſiatur in hoc actu, quo dico, volo hanc medicinam, ſi illam Petrus non aſſumat: Tendo enim nunc in hanc determinatam medicinam, per relationem tamen non abſolutam, ſed conditionatam. Hinc infertur materiam appetere magis nobiles, quàm ignobiles formas, per hoc quod cum vna potentia ſit nobilior altera iuxta maiorem nobilitatem termini, ſecundum quem potentiæ ſpecificantur; potentia nobilior appetibilior altera minus nobili dici poterit, magis enim nobile, & magis appetibile, idem prorſus eſſe videntur in agentibus neceſſarijs. Addo, quod cum materia prima per formam nobiliorem

rem conſtituatur in eſſe nobiliori, forma nobilior terminans talem potentiam, reddet talem potentiam magis nobilem, ſeu magis appetibilem ab, vel in ipſa materia, & conſequenter terminus, ſeu ipſa forma, talem potentiam terminans, magis erit appetibilis à materia, ideſt nobilius eſſe conſtituet cum materia; aliùs enim appetitus in materia explicari non poteſt, niſi quæſtio fiat de nomine.

20. *Materia prima poteſt ſtare ſupernaturaliter ſine omni forma.*

RAtio eſt, quia materia non exiſtit exiſtentia formæ; ſed propria; alioquin materia produce-

retur

retur ab agentibus naturalibus, ideoque non crearetur, nam agẽtia, quæ producunt formam darent exiſtentiam materiæ. Ergo illam producerent, quid enim aliud eſt producere aliquid, niſi dare illi exiſtentiam? Deinde materia produceret ſeipſam, cum produceret, ſeu cauſaret exiſtentiam formæ; nempè ſuam propriam. Tandem, quia cum materia ſit cauſa realis formæ, per prius debet intelligi exiſtens, quã cauſet: Ergo prius natura debet intelligi exiſtens materia, quam forma: ergo non exiſtit exiſtentia formæ. Præterea dico, quod etiam ſi materia prima exiſteret per exiſtentiam formæ, tamen adhuc diuinitus poſſet ſtare ſine

forma

forma. Et ratio eſt, quia materia prima, vel indiget forma, vt exiſtat, vel vt tamquam incompleta, completa exiſtat; propter hoc ſecundum non indiget forma, quia forma eſt incompleta, & tamen vt incompleta ſine materia poteſt exiſtere. Si propter primum, nempè vt exiſtat: ergo ſi habeat exiſtentiam ab alio, quàm à forma poterit exiſtere ſine forma. Exiſtat ergo per exiſtentiam ſolius Verbi Diuinij vt per aduerſarios exiſtit nunc materia prima Chriſti Domini; exiſtat per exiſtentiam Angeli, quare non? Et vrgetur: exiſtat per exiſtentiam formæ ſine forma; quare non? Sicuti enim exiſtentia formæ (quæ per aduerſarios

rea-

realiter diſtinguitur à forma.) modò poteſt exiſtentiare ſolam formam, modò ſimul materiam, & formam. Quare exiſtentiare non poterit nunc ſolam materiã? Nam ſi per ſe habet exiſtentiare cum forma etiam materiam, non eſt potius talis exiſtentia modus, vel determinatio materiæ, quàm formæ. Adde, quod ſicuti in probabiliori ſententia in Euchariſtia accidentia, quæ præſentiabantur per præſentiam quantitatis, vel materię, poſtea præſentiantur per aliam præſentiam ſupernaturalẽ; Quare non etiam pariformitèr philoſophandum eſt de exiſtentia materiæ, quæ licet nunc ſit propria formæ, poterit tamen diuinitus eſſe alia ſupernaturalis;

per

per quam exiſtat à forma independens, quare non?

21. *QVidditas accidentis non conſiſtit in eo, quod vel actualiter, vel radicaliter inhæreat.*

RAtio eſt primò, quia ſecundũ hoc non differret à forma ſubſtantiali materiali; ſecundò; pono caſum, in quo Deus reuelet mihi ſe per totam æternitatem nolle, quod accidentia exiſtentia inhæreant, ſeu dependeant taliter à ſubiecto; hoc poſito meus actus, quo crederem hoc, eſſet actus fidei, ideoque eſſentialiter verus, & ſicut ipſe neque inhæreret tamquam accidens, hinc fit neque habere potentiam ad

inhæ-

inhærendum; nam cum hic actus eſſentialitèr reſpiciat tamquam ſuum formale obiectum negationem actualis inhærentiæ, & ſui, & aliorum accidentium; implicat ex ratione etiam eſſentialis, veritatis, quam habet, quod pro aliquo euentu ponatur in rerum natura, & non conformetur ſuo obiecto; ergo quod inhæreat; ergo hic actus potentiam non habet inhærendi, cum fruſtrà ſit potentia, quæ ad actum reduci non poteſt, quod quidem non ex decreto tantum ipſi extrinſeco proueniret, ſed ex eſſentiali connexione, quam hic actus habet cum veritate: ſed ex alia parte hic actus ſubſtantia eſſe non poteſt: ergo accidens: ergo de ratione

acci-

accidentis non eſt actualitèr, vel radicalitèr inhærere.

22. *Stando rationi non videmus quomodo poſſit efficaciter conuinci, qui aſſereret naturaliter poſſibilem ſimultatem formarum totalium in eadem materia: licet ſtando auctoritati hanc naturalitèr impoſſibilem fateamur.*

RAtio eſt, quia nulla apparet naturalis implicantia, quare in aliquo compoſito introduci nõ poſſint accidentia plura diuerſa non contraria, ſed compoſſibilia cum pręexiſtentibus; quibus diuerſis competat propria forma: in hoc caſu non eſſet, cur noua forma pręexiſtenti non contraria,

intro-

introduci non poſſet. Quod autẽ in hoc caſu materia iam eſſet cõpleta per vnam formam; facit quidem, quod ſecundum hanc nõ compleretur; ſed tunc eſſent duo compoſita inadæquatè diſtincta; nam ſicuti idem ſubiectũ eſt albũ, & dulce, faciens duo compoſita inadæquatè diſtincta, ſic eadem materia eſſet ſub his formis, vnamquamque complens ſubſtãtialitèr, & prout vnita cum forma A vnum conſtituens compoſitum; Vnita etiam cum forma B, aliud conſtituens. Confirmatur experientia; nam corpus animale multis in locis viſum duo habẽs capita, pedes quatuor &c. communes aliquas habet partes vt pectus, ventrem, &c. quas non

niſi

niſi à duabus animabus informari dicendum eſſe videtur; neque hoc naturalitèr videtur implicare; ergo &c.

23. *Formæ partiales in viuentibus corporeis etc. non ſolum non dātur, ſed neque etiam diuinitus dari poſſunt.*

Ratio eſt primò, quia tales formæ ſubſtantiales non eſſent; nam quidditas ſubſtantiæ formalis conſiſtit in eo, quod ſit principium motus, & quietis vltimò, ſeu finalitèr per ſe intentum, ad aliud non ordinatum: cum autem tales formæ partiales eſſent de ſe ordinatæ ad vltimam formam totalem; idcircò non eſſent ſubſtātiales: nam eodem iure quantitas

dici

dici poſſet forma partialis ſubſtantialis. Secundò omnia poſſunt optimè intelligi ſine his formis partialibus; nam diuerſitas illa accidentium poteſt exigi ab eadem indiuiſibili anima, ſicuti ab eadem exiguntur tot diuerſæ formæ partiales. Tertiò his admiſſis non poteſt ſaluari commune axioma, ideſt quomodo generatio vnius, ſit corruptio alterius, & vice verſa. Quartò optimè intelligitur quomodo accidentia vnius formæ exigant, licèt non omnia, ſaltem pleraque, aliam diuerſam formã; vt patet in tranſmutatione ſanguinis in carnẽ &c. Quintò nulla apparet, vel leuis ratio in contrariũ, quæ facilè nõ ſoluatur, vel quę in formas par-

tinales nō retorqueatur. Ergo &c. Quod autem anima ſpiritualis nō poſſit dare eſſe carnis, corporis &c. hoc nihil obſtat; nã eſſe carnis, corporis, &c. nihil aliud dicit, quàm materiam affectam talibus accidentibus coloris, saporis, quantitatis &c. & inſuper formam hæc omnia exigentem; Quæ eſt anima rationalis, potens hæc omnia materialia exigere, ſicuti per ſe exigit formas partiales materiales.

24. T*Otum, ſeu compoſitum nullo modo diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis.*

RAtio eſt, quia nulla eſt neceſſitas multiplicandi hoc super-

addi-

additum. Nam poſita, vel intellecta ſolum materia vnita cum forma, & alijs non intellectis, vel non poſitis, poneretur compoſitū; intellecta enim anima rationali vnita cū corpore organico, & alijs omnibus ſeclusis; intelligitur ſufficiētèr homo; ergo &c. Præterea illa tertia entitas, ſeu roteitas ſuperaddita non eſt adæquata eſſentia compoſiti, alias anima eſſet extra eſſentiam hominis; nec ſolum ſe habet vt forma quædam compoſitionis denominans, & conſtituens partes compoſitum, quia hoc ſufficiēntèr præſtatur per vnionem. ergo &c. vrgetur; & quæro ex quibus partibus ſit conflata entitas illa, quæ dicitur compoſitum, (ſim-

plex enim eſſe non poteſt, nam cum loquamur de compoſito, idem eſſet dicere aliquid ſimplex eſſe compoſitum, & aliquod compoſitum ſimplex, quod repugnat) non ex anima, & corpore; nam agimus de tali entitate quatenus diſtincta à partibus; erit ergo talis entitas compoſita ex alijs partibus. Aſſigna ergo quæ ſint iſtæ aliæ partes? Nam idem argumentum ad hominem reponam contrà tale compoſitum ex alijs partibus, an inquàm ſupra has partes dicat aliud ſuperadditum; & ſic trahet in infinitum ſuperaddita; quod ſi ſiſtendum eſt tandem in aliquibus tantum partibus, quare non idem dicendum eſt, & ſiſtendum in primis partibus

bus vnitis? Contradictiones autē quas aſſignant aduerſarij de toto, & non de partibus, verificantur quidem de partibus diſtributiuè ſumptis, non verò collectiuè, ſeu vnitim ſumptis, de quibus omnia verificantur, quæ de toto, cum idem formaliſſimè ſint.

25. *VNio eſt aliquid ſuperadditum extremis, & aliquid diſtinctum ab ipſis, & intima præſentia.*

RAtio eſt primò, quia anima, & corpus poſſunt exiſtere in rerum natura quin exiſtant vnita; ergo hoc quod eſt exiſtere vnita, eſt aliquid diſtinctum ab ipſis. Secundò neque dici poteſt

requiri ſolùm intimam præſentiam ſupra partes. Primò quia conceptus formalis vnionis conſiſtit in nexu extremorum, ex vi cuius extrema habent inſeparabilitatem talem, vt moto vno moueatur & aliud, ſumpta ſimilitudine à vinculo rerum artificialium, huiuſmodi autem non eſt intima præſentia. Secundò poſſent eſſe illa omnia, & tamen nõ eſſe vnita, nam Angelus v. g. eſt intimè penetratus cum gratia habituali, & habitibus infuſis Pauli, & tamen cum illis non eſt vnitus, non enim per illos denominatur Sanctus: deinde anima Chriſti fuit intimè penetrata cum vtero, vel materia prima Beatæ Virginis, & tamen cum

illa non fuit vnita; & efficaciùs tàm Verbum, quàm Pater, & Spiritus Sanctus fuerunt, & ſunt intimè penetrati cum humanitate Christi, & tamen ſolum Verbum eſt vnitũ, quid enim aliud poneretur: Si omnes vnirẽtur? Decretũ: at quid quæſo, vellet hoc decretum? quodnam eſſet eius obiectũ, niſi noua vnio?

26. *REpugnat mutua cauſalitas inter cauſas quarum realis existentia ſecundum primum eſſe requiritur ad cauſandum.*

RAtio eſt, quia idem eſſet cauſa ſui ipſius quo ad primam existentiam, quia eſſet cauſa ſuæ cauſæ, quod autẽ eſt cauſa cauſæ eſt

eſt cauſa cauſati. Præterea idem eſſet prius, & poſterius natura effectu. Prius quia eſſet cauſa illius. Poſterius verò, quia eſſet effectus eiuſdem. Sed hoc eſt abſurdum, ergo &c.

27. NON *implicat duas cauſas totales totaliter concurrere ad eundem effectum.*

RAtio eſt primò, quia duplex cauſa finalis poteſt totalitèr influere in eundem numero actû. Secundò idem corpus poteſt dependere à duabus vbicationibus, & eadem natura à duabus ſubſiſtentijs. Tertiò eadem forma replicata hic, & Romæ ſubiectari poteſt in duabus materijs realiter diſtin-

diſtinctis, ſicut & idem accidens in duobus ſubiectis: neque ideo dicenda eſſet vna ex illis cauſis fruſtranea, nam hoc probaret eſſe fruſtraneam, ideſt non neceſſariam, non vero ſine aliquo fine, ſicuti duplex vbicatio in Petro non eſt neceſſaria, poteſt tamen eſſe; & etiam ſi effectus neutra indigeret ex illis cauſis determinatè, hoc tamen non impedit quo minus poſſet ab vtraque determinatè dependere; ſicuti patet in exemplis allatis, & alijs multis; maior eſt enim influxus, quàm indigentia; cum à duobus determinatè exiſtentiet tur, & duobus determinatè non indigeat; ſedtantum diſiunctiuè. Quòd patet euidentèr in luce,

quæ

quæ nunc exiſtentiatur à Deo, & Sole, & tamen actualitèr eſſentialitèr non indiget & Deo, & Sole, cum à ſolo Deo poſſit exiſtentiari.

28. *Cauſa habet relationem tranſcendentatalem ad effectum: implicante effectu non implicaret cauſa in actu primo ſecundum ſuum eſſe abſolutum, ſed tantum pront potentialitèr refertur ad effectum.*

Ratio eſt primò, quia cauſa habet potentiam exiſtentiandi effectum, ſed talis potentia eſt relatio tranſcendentalis ad effectum ergo. Secunda pars proba-

tur, quia implicante effectu implicaret relatio terminata ad ipſum, relatio enim ſpecificatur à termino, ideoque ſi terminus eſt impoſſibilis, talis etiam erit relatio; potentia enim ad impoſſibile eſt impoſſibilis; ſed implicante termino non eſt cur implicet id, quod non eſt connexum, ſeu quod non refertur ad terminum, talis autem eſt causa ſecundum ſuum eſſe abſolutum, ergo illo implicante hæc formalitèr non implicaret.

29. In

29. *IN qualibet re, vbi peculiaris huiuſmodi repugnantia non apparet, datur potentia obedientalis ad producendum quodlibet v. g. in aqua ad gratiam, in palea ad Angelum.*

RAtio eſt primò, quia ſpectat ad perfectionem dominij, & ſapientiæ Dei, vt poſſit rem quãlibet ad quoſuis effectus adhibere vbi non inuoluitur implicatio; nempè vt per inſtrumẽta, quęque viliſſima effectus nobiliſſimos præſtare poſſit; ſic pictori illi maxime laudi verteretur, qui penicillo quouis obuio ęquè excellenter pingeret. Cum ergo nulla in hoc appareat implicantia, pro

Diuina

Diuina Omnipotentia ſtandum eſt. Secundò à pari. Datur potentia obedientialis in anima ad actus ſupernaturales viſionis Beatæ, amoris Dei &c. quare non etiam in aqua ad producendam gratiam, Angelum &c? certè diſparitas aſſignari non poteſt, quę optimè, & facilè retorqueri non poſſit in animam reſpectu viſionis Beatæ &c. Neq; dicas in anima correſpondere aliquam formalitatem propriam etiam viſionis Beatæ, v. g. vitalitatem, & rationem cognoſcendi: propter quam anima poteſt eleuari ad cognoſcendum clarè Deum. Contra enim eſt: nam hæc correſpondentia in multis formalitatibus reperitur etiam in aqua

reſ-

reſpectu Angeli, & gratiæ, v.g. in ratione ſubſtantiæ, productiuitatis, entis &c. neque requiritur producens & productum eſſe in eodem ordine, genere, & ſpecie entis, vt patet in igne producẽte calorem, phantaſmate materiali producente ſimul cum intellectu actũ ſpirituale͂,& anima ſpirituali producente actum materialem.

30. A*Gentia in cauſando non poſſunt agere in diſtans; immo videtur neceſſarium agens in agendo eſſe debere intime penetratũ (vel poſitiuè, vel negatiuè) cũ effectu.*

RAtio eſt, quia ſi agens poſſet agere in diſtans, & ſanè nihil producendo in medium, non eſſet

cur etiam non produceret in paſſum ſuum effectum, etiam ſi medium eſſet impeditum; v. g. Sol non illuminaret hanc cartam; ſuper quam manus eſt poſita: deinde ſi agens non indigeret medio ad cauſandum, poſſet ad quamcumque diſtantiam ſuum terminum attingere ſicut euenit in relatione ſimilitudinis; vel æqualitatis huius parietis A, qui æqualiter attingit ſimilitudinariè ſuum terminum B. *Romæ*, & C. Goæ. Probatur ſecunda pars concluſionis, nam ſi ex eo quod Deus nos operetur viuificet, & exiſtẽtiet, D. Paulus arguit intimam Dei præſentiam in nobis, quare non multò magis hæc intima præſentia erit neceſſaria creaturis ad

 agen-

agendum ſuos effectus. Confirmatur, quia etiam dato quod agẽtia agerent in paſſum producendo per prius aliquid in medio, ſequitur tamen ſemper quod agunt in diſtans; nam actio ſemper realiter identificata cum agente attingeret in paſſo diſtanti ab ipſo per vnum, vel plures palmos effectum, (quod eſt agere formaliter in diſtans) vnde ſi in India paſſum eſſet aptè diſpoſitum nõ efficeretur ignis, qui eſt hìc Ferrariæ non produceret in tale paſſum ſuum effectum, nempe ignẽ, cum hìc Ferrariæ medio non indigeat, niſi ad hoc vt paſſum reddat diſpoſitum ad terminandam relationem, actionis diſtantem.

31. *Accidentia effectiuè attingunt productionem ſubſtantiæ.*

Ratio eſt, quia non poteſt aſsignari cauſa magis proportionata; nam ſubſtantia proportionata non videtur, vt patet ex ſuperiori concluſione, quandoquidem neque aliquando talis aſsignabilis eſt; deinde accidens, etſi minus nobile, tamen cum alia concauſa nempe materia prima in genere ſubſtantiali æquè nobili, poterit cauſare determinando, & ſpecificando materiam: ad hanc potius ſubſtantiam cauſandam, quàm illam, nempè cuius virtus ſunt talia accidentia.

32. *DEus ita concurrit immediatè ad productionem cuiuſq; effectus producti vt implicet effectum exiſtere, & à Deo immediatè non produci.*

RAtio eſt primò, quia Deo eſſentialitèr competit ſuper creaturas dominium perfectius quocumq; excogitabili; ſed perfectius dominium eſt concurrere immediatè ad omnes creaturas, ergo &c. Minor probatur, quia tunc magis perfectum, & amplũ eſt dominium alicuius rei, quando ſtrictius, & maioribus titulis poſſidetur talis res, ita vt de illa independentèr à quocumq; alio diſpoſitio fieri poſſit in quem-

cum-

cumq; vſum; ſed immediatè producere, & conſeruare rem eſt ſtrictiùs, & maioribus titulis illā poſſidere, vt patet ergo &c. Secundò probatur, nam in quacumque re creata eſt aliqua perfectio, quæ niſi à ſolo Deo poteſt communicari; quælibet enim res habet in ſe hanc perfectionem, nempe diſtinctionem à quibuſcumque imperfectionibus ſuæ cauſæ, quæ ſane perfectio eſſe debet, cum contradictorium ipſius nempe identitas cum talibus imperfectionibus ſit imperfectio; cum autem hanc non poſſit res accipere à cauſa creata, quatenus illam non habens; immò habens oppoſitam, ſeu contradictoriam reſtat quod hunc immediatè ab

ipſomet Deo accipiat; ideoque Deus immediatè ad omnes effe-ctus concurrat.

33. *Deus ita concurrit ad omnes actiones etiã liberas voluntatis creatæ, vt indemnem ſemper ſeruet eius libertatem.*

Ratio eſt, quia immediatè, & ſimultaneo concurſu concurrere cum alio ad aliquid, non eſt imponere neceſſitatem, neq; contrarietatis, neque contradictionis, neque coactionis; nam licet Deus ſuo concurſu generali actionis, voluntatem determinantis, cauſa ſit, non tamen determinat actionem voluntatis; aliud enim eſt efficere determinationẽ

voluntatis, aliud determinare voluntatem; nam determinare actionem præter concurſum efficientem vendicat etiam concurſum formalem, qui conſiſtit in poteſtate agendi, ſeu cohibendi actionem. Creata igitur voluntas cum efficit ſuam determinationem, hanc quoq; efficit Deus, cum hac tamen differentia, quod ambo concurrunt in genere cauſæ efficientis, non verò in genere cauſæ formalis; in genere enim cauſæ formalis, nempe cum poteſtate ab intrinſeco cohibendi talem determinationem concurrit ſola voluntas creata, quæ (præſuppoſita Omnipotentia Dei iam parata tamquam principio indifferenti ad quaſcumque operatio-

 nes

nes) ſola habet dominium deſpoticum ſuarum actionum; ſolus igitur concurſus efficiẽs non ſufficit vt voluntas dicatur ſe determinare, nam intellectus etiam præſtat concurſum efficientem in cognitionem, & habitus acquiſitus, vel infuſus eſt cauſa efficiens operationis, tamen neuter ſe ipsũ determinat, neque vtitur deſpoticè alijs comprincipijs ad agendũ; igitur præter concurſum efficientem alius concurſus neceſſarius eſt, vt voluntas ſe determinet, ſuiſque comprincipijs in actu primo paratis vtatur ad agendum, qui alius non eſt, niſi modo explicatus, hunc concurſum formalem poſſe ſoli voluntati creatæ, & non Deo competere patet; nam cum

Deus

Deus præcipit voluntati aliquem actum, & voluntas violat hoc pręceptum, omittendo actum, omiſſio non eſt ab habitu, aut concurſu Dei; ſed à ſola voluntate quippè ſoli voluntati imputatur, quod violauerit tale præceptum.

34. *RAtiones, ſeu implicantiæ aſsignabiles contra poſsibilitatem, infiniti actu Cathægorematici, licet fortaſse directam reſponſionem, claram, facilem, & euidentem non habeant, illas tamẽ nihil probare poteſt demõſtrari.*

RAtio eſt, quia ex vna parte non poteſt negari creaturas in mente, vel Omnipotentia Dei exiſtentes eſſe obiectiuè infinitas, ſi enim fi-

nitæ eſſent, non eſſet; cur omnes ſimul actu produci non poſſent; ex alia parte negari non poteſt omnes creaturas poſſibiles actu terminare diſtinctiſſimè cognitionē Diuinam, ita ſcilicet vt vnaquæq; nunc in indiuiduo cognoſcatur ab alia diſtincta; cum ergo in hoc nunc termini creaturarum poſſibilium omnes quotquot ſunt, ſcilicet infiniti, nunc terminent diuinam cognitionem, omnes in indiuiduo diſcernentem, & vnūquemque ab alio diſtinguentem (vt manifeſtè patet) ſequitur, quod in hoc infinito obiectiuo actu cathægorematico in mente Dei exiſtente omnia aduerſariorum argumēta ita refringi poſſint, vt omnem penitus deperdāt vim,

con-

contra infinitum actu productum. Addo iuſuper retorqueri, & retundi poſſe argumenta in negationibus in immenſum diffuſis; in immenſitate Dei illimitatè protenſa; in diebus æternitatis à parte ante, & à parte poſt; & tandem in continuo conſtante ex partibus in infinitum diuiſibilibus, vt eſt cõmunis Peripati ſententia.

35. *Continuum conſtantes ex infinitis, vel finitis indiuiſibilibus habent inſolubilia argumenta, pleraq; quorum pugnant eodem modo componentes illud ex ſemper diuiſibilibus, præter alia etiam inſolubilia, quæ in hac ſecunda ſententia reperiuntur. Vndè*

dicimus neutram ſententiam, poſſe à nobis directè ſuſtineri, argumenta contraria directè ſoluendo.

RAtio eſt, quia contra infinita, vel finita indiuiſibilia currunt plurima argumenta Mathematica à nobis inſolubilia; primò, de quadrati coſta diametro incommenſurabili; ſi enim puncta eſſent in vtraque linea finita, falſa eſſet demonſtratio. Secundò, de æqualitate punctorum in eadem diametro, & coſta, ſicut & circulo maiore, & minore. Tertiò, de maioritate, & minoritate eiuſdem lineæ immediatæ baſi in triangulo isoſcele, cuius baſis eſſet decem punctorum, latera autẽ vi-

viginti. Quartò, de rota mota ſupra planum, cuius circulus interior minor, eodẽ tempore æqualem deſcriberet lineam, ac exterior maximus. Quintò, de tarditate, & velocitate motus, quo fieret Formicam ęquè velocem fore, ac Aquilam, nec ad morulas recurrere iuuat, cum hæ maiores habeant difficultates, & ſint contra experientiam. Sextò, de linea recta A ad angulos obliquos mota ſupra aliã B. cuius pars inferior A ſit 10. punctorum; ſuperior autem 1000. in quo caſu ſequeretur, dari tranſitum ab extremo ad extremum longè diſtans, ſine tranſitu per medium, cum pars inferior A. tangeret B. in duobus punctis. Septimò, continuum, ſi
pre-

precipuè conſtet infinitis indiuiſibilibus, eſſet infinitæ actu molis, & non eſſet, cum infinita moles actu, non aliud ſit quàm compoſitum ex infinitis indiuiſibilibus. Octauò, non poſſe dari motum, & tempus, ſi conſtet infinitis; nam ſicuti infinitum retrocedendo, numquam poteſt abſorberi à determinata parte, ſeu puncto, in determinatam partem, ſeu punctum ſucceſſiuè progrediendo, ſic vice verſa, neque minus, antecedẽdo, & pariformitèr procedendo; cum non minores pertranſiri deberent partes retrocedendo, quàm pertranſeantur antecedendo. Hæc, & alia argumenta cum militent etiam in partes diuiſibiles in infinitum, præ-

cipuè

cipuè cum partes admittantur, nunc omnes actu diſtinctæ; & cum nunc de facto omnes quæcumque diuiſibiles, actu terminent diſtinctiſſimè in indiuiduo diuinam cognitionem; ideoque cum contra omnes ſic cognitas in mente Dei exiſtentes, militent argumenta, quæ contra infinita indiuiſibilia fiunt; hinc fit incertam nobis eſſe talem compoſitionem, cum ſolutiones directè aſſignabiles nunquam difficultatem, & vim argumentorum eneruent. Inſuper cõtra continuum conſtans partibus in infinitum diuiſibilibus. Vrgeo hoc argumentum, ex quo ſequitur aliquid eſſe præteritum, quod nunquam fuit præſens: Nam aliquæ partes temporis ſunt præteritæ

ritæ, alioquin nihil temporis eſſet præteritum, & tamē nulla pars eius fuit vnquam præſens; nam ſi fuiſſet præſens non fuiſſet diuiſibilis: nullum enim diuiſibile ſucceſſiuè poteſt eſſe pręſens, alias ſucceſſiuum non eſſet ſucceſſiuum quod probo. Probo inquam hęc duo repugnare, Diuiſibilitatem, nempe, & ſucceſſionem, & tamen Ariſtoteles neceſſario debet dicere iſta duo vni competere: arguo autem ſic, quod eſt præſens eſt ſimul, quod eſt ſucceſſiuum non eſt ſimul, ergo pugnant inter ſe ſucceſſiuum & præſens; vnũ enim dicit negationem, & excluſionem alterius. Maior illa patet, quia omne præſens eſt nunc, & omne præſens eſt coexiſtens, ſed

nullum

nullum ſucceſſiuum eſt coexiſtẽs, quia aliquid eius eſt poſt aliud, adeoque totum non eſt ſimul, ergo &c. explico rem, & accipio partem, quam aduerſarius vellet eſſe præſentem; aut hæc eſt diuiſibilis, aut non; ſi non ergo dantur indiuiſibilia; ſi ſic erit diuiſibilis in alias partes; accipio igitur duas illas, in quas iſta diuiditur, & quęro an ſint ſimul; ſi ſic, non erunt ſucceſſiuæ; ſi non, non erunt præſentes, atque ita nec tota pars, cuius illæ ſunt meditates.

36 *PRæter locum extrinſecum, & locatum datur vbi intrinſecum ſuperadditum loco extrinſeco, et locato.*

RAtio eſt, quia Petrum eſſe in-

 hoc

hoc loco poteſt ſeparari à Petro, & loco extrinſeco, ergo Petrum eſſe hìc, eſt aliquid diſtinctum à Petro, & loco extrinſeco, determinans Petrum ad eſſendum formalitèr in hoc loco.

37. *VNum corpus poteſt eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, & diſtantibus, & adæquatis.*

RAtio eſt, quia poteſt vnum corpus (vt eſt de fide) eſſe in vno loco circumſcriptiuè, & ſimul in alio definitiuè; ergo etiam in vtroque circumſcriptiuè ſimul eſſe poterit: certè ly, circumſcriptiuè (niſi facias quæſtionem de nomine) non tollit eſſentialitèr aliud poſſe eſſe circumſcriptiuè,

ſicuti qui circumſcriptiuè eſt in vno loco, non ita circumſcribitur, vt non poſſit eſſe ſaltèm definitiuè in alio loco, licet circumambiatur ab illo loco in quo eſt; Chriſtus enim Dominus in Euchariſtia non occupat totum locum Eccleſiæ, ſed ambitur à loco aliquo extra quem in Eccleſia non diffunditur; reſtringitur enim intra ſpatium circulare ipſiusmet Hoſtiæ Euchariſticæ. Adde quod omnia argumenta aduerſariorum retorquentur in duplicem vbicationem definitiuam, vel in vnam circumſcriptiuam, & alteram definitiuam in ipſo Chriſto Domino. Præterea Chriſtus apparuit in via D. Paulo circumſcriptiuè, non phantaſticè, ſed verè, & tamẽ

 eodem

eodem tempore circumſcriptiuè erat in Cœlo ſedens ad dexteram Patris; ſtet igitur circumſcriptionem non dicere ex natura ſua, niſi modum talem eſſendi in loco, nempe cum impenetratione, & extenſione actuali partium in ordine ad locum, quod formaliter nõ dicit excluſionẽ replicationis.

38. *VNum corpus poteſt ſpoliari omni vbicatione, ita vt verum ſit exiſtere, & nullibi, ſeu in nullo loco exiſtere.*

RAtio eſt, quia vbicatio eſt in poſteriori ad rem vbicatam; ergo præſupponitur in priori res exiſtens antequã exiſtat eius vbicatio, à re vbicata procedens; quare

quare ergo, ſicuti poteſt exiſtere Sol, & impediri à Deo, ne emanet ab ipſo lux; non poterit ſimiliter à Deo impediri, ne ab eodem emanet vbicatio? Confirmatur primò, nam magis depēdent accidentia à ſubiecto, quàm ſubiectum ab accidentibus, cum hoc ſolū à poſteriori, illa à priori dependeāt; ſed accidētia poſſunt conſeruari ſine ſubiecto, ergo & ſubiectum ſine accidentibus, ergo & ſine vbicatione, quæ eſt accidens. Confirmatur ſecundò: lux v. g. magis dependet à ſubiecto tanquam à priori, quàm ab vbicatione, à qua ſolum à poſteriori, ſed lux poteſt ſpoliari omni ſubiecto, ergo, & omni vbicatione; aſſignetur diſparitas ſine petitio-

ne principij. Confirmatur tertiò materia prima poteſt ſpoliari omni forma, omni quantitate, omni figura; quare ergo non omni vbicatione? neque dicas rem poſſe ſpoliari hac & illa dependentia, non tamen poſſe ſpoliari omni dependentia, ſic à pari. Contra enim eſt, nam res à dependentia primò, dependet à priori; ſecundò res, eo ipſo quod eſt creata, dicit eſſentialiter in ſuo conceptu formali factionem, ſeu dependentiam, ſed exiſtentia v. g. Petri nō dicit in ſuo conceptu formali vbicationem, nam in priori naturæ exiſtit Petrus, & non vbicatio, cum hæc ſit effectus illius, nihil enim conſtituitur per ſuum effectum; Neque dicas tale corpus

debere

debere eſſe ſemper præſens Deo; nam Deus nunc non eſt præſens Antichriſto, vel alteri Mundo, quia hic, & ille nõ exiſtũt in loco; ad hoc igitur vt Deus ſit præſens alicui requiritur, quod hoc ſit in loco, ſicut ad hoc vt Deus exiſtat cum Antichriſto, vel illi coexiſtat requiritur, vt Antichriſtus exiſtat; ſi ergo res non eſt in loco, nõ poteſt alia eſſe præſens illi, præſentia enim eſt mutua relatio ad locum, ſicuti coexiſtentia ad exiſtentiã: certè ad hoc vt Antichriſtus dependeat nunc ab omnipotentia, requiritur quod exiſtat; ſic vt idẽ ſit præſens Deo requiritur quod, & ipſe habeat præſentiam localem, ſeu ſit vbi eſt Deus.

39. *TEmpus ſecundum ſuam rationem formalem, de reali poſitiuo, quod dicit, Conſtituitur per durationes reales intrinſecas cuilibet rei, correſpondentes ſuis negationibus, tamquam tempori imaginario, ſed reali; & aliud tempus verè non agnoſcimus.*

RAtio eſt, quia Petrum durare hodie, vel in hoc inſtanti, eſt Petrum habere durationem A, tollentem ipſius negationem A, quæ negatio A, correſpondens contradictoriè tali durationi, dicitur ens ſucceſſiuum negatiuum; ſicuti durationes ſunt ens

ſucceſſiuum poſitiuum, Petrus enim eſt in hoc inſtanti, quia negatio durationis A Petri, quæ nunc ſuccederet, tollitur per durationem A ipſius. Si enim Petrus non exiſteret per Annum, pertranſirent tot negationes vna poſt aliam, quibus ſi correſpondiſſent durationes poſitiuæ, durationes illæ componerent vnum Annum, ideſt toto decurſu illarũ durationum potuiſſent poni tot motus, & circulationes, quæ facerent vulgarem Annum. Cum autem negationes ſint natura ſua fluxæ, & eſſentialiter irremeabiles, durationes etiam illis correſpondentes eiuſdem ſunt naturæ: & hoc patet, quia negatio durationis A Antichriſti, quæ exiſtit,

non poteſt fieri quin exiſtat, & conſequenter quod non extiterit, ideoque neceſſariò illa eadem irremeabilis, & talis negatio A, eſt propriè priuatio, quæ ſi non tollitur per durationem A, ſibi correſpondentem, non poteſt tolli per aliam, quia non poteſt fieri, quod ſi ſemel exiſtit, non extiterit; nam ſi negatio A, appellans tempus Antichriſti: ſeu durationem eius poſſet tolli per durationem B; ſequeretur, quod fuiſſet talis negatio, & non fuiſſet. Fuiſſet vt ſupponitur, nō fuiſſet, quia impedita fuiſſet, vel impediri poſſet per formam contradictoriam, nempè durationem B; Stat igitur tempus in ordine ad quod explicari debet etiam motus ipſe

primi mobilis, nihil eſſe aliud, quam intrinſecas durationes rei exiſtentis correſpondẽtes fluxis, & realibus earum negationibus ſucceſſiuè, & eſſentialiter fluentibus, à velociſſimo intellectu cognoſcibilibus, vel numerabilibus.

40. *Sicuti res poteſt abſolui ab omni vbicatione, dicimus abſolui etiam poſſe ab omni duratione.*

Ratio eſt deſumenda ex trigeſima octaua concluſione, nam etiam militat pro iſta. Præterea nulla eſt implicantia aſſignabilis, quæ ſolui non poſſit; ergo. Aduerto tamen hanc rem ſpoliatam omni duratione exiſtere quidem, non verò temporaneè; hoc enim

impor-

importat durationem, ſed tantum ſubſtantiuè, ſeu ſubſtantialiter, quatenus haberet ſuam eſſentiam, & exiſtentiam pendentem ab actione ſuæ cauſæ.

41. *INtenſio conſiſtit in additione nouæ entitatis ad præcedentem. Remiſſio verò è contra in amiſſione alicuiuius partis illius entitatis.*

RAtio eſt primò, quia intenſione qualitatis ſubiectum fit magis tale v. g. magis calidum; ergo accedit ei aliquid caloris; nam calidum non poteſt reddi niſi per calorem; ergo magis calidũ habet aliquid plus caloris. Secũdò, quia ſicuti extenſio fit per additionem partis ad partem ſine

pene-

penetratione; ita intenſio fit per additionem partis ad partem cũ penetratione in eadem parte ſubiecti. Et nota, quod ſicuti poteſt vnum continuum extenſiuum conſtare duobus palmis ſolo numero diferentibus, ſic poteſt vnũ continuum intenſiuum conſtare duabus qualitatibus, v. g. duobus gradibus caloris ſolo numero differentibus; ſi enim duæ quantitates diuiſæ vniantur fit vna quantitas; ſic ſi duo gradus diuiſi vniantur fit vnus gradus. Neque dicas intenſionem conſiſtere in perfectiori vnione qualitatis in ſubiecto. Contra enim eſt, quia vnio eſt forma generalis, ergo non poteſt tribuere effectum formalem ſpecialem; iterum, quia eſt indeterminata

minata, ergo non poteſt reddere determinatè tale; & oppoſitum plane eſt, ac ſi quis dicat, aliquid reddi calidum per approximationē, cũ approximatio nō plus habeat de calore, quàm de frigiditate. Confirmatur, gratia augetur per actus ſupernaturales meritorios, augumentum autem eſſentialiter dicit additionem nouę entitatis ad præcedentem, ergo intenſio non fit per maiorem radicationem, ſed per additionem nouæ entitatis. Adde, quod ſi per maiorem radicationem fieret intenſio, quantitas, & formæ ſubſtantiales eſſent capaces intenſionis, ac remiſſionis, quia poſſent melius, aut deterius radicari in ſubiecto, non aliter ac indiuiſibi-

lis

lis qualitas. Deinde ſi tua radicatio conſiſteret in maiori vnione cum ſubiecto, vel hæc vnio eſſet indiuiſibilis, vel diuiſibilis; ſi diuiſibilis, ergo augeri poſſet, & intendi; quod eſt contra te. Si indiuiſibilis, ergo eo ipſo, quod eſſet in ſubiecto ſubiectum eſſet in qualitate omnino intenſum, niſi dicas dari vnionem ad vnionem, quod implicat. Neque dicas intenſionem fieri per deſtructionem antecedentis, & productionem perfectioris ſubſequentis; primò, quia ignis v. g. ſemper agit vniformitèr in productione caloris, nam non producit primo calorem vt vnum, poſtea alium calorem vt duo, vt tria &c. alioquin paſſum approximatum poſſet per

prius

prius recipere calorem vt duo, quàm vt vnum, vel ſaltèm expectare deberet vſque dum adueniret calor vt vnum, quod eſt manifeſtè contra experientiam, nam paſſum igni approximatum ſtatim concipit caloré ab igne emiſſum. Secundò non poteſt aſſignari cauſa deſtruens primum gradum, ſeu antecedentem caloris. Tertiò non eſt cur primi gradus deſtruãtur, cum non opponantur, ſeu cõtrarientur aduenientibus. Quartò tandem, non poteſt in remiſſione aſſignari cauſa productiua alterius qualitatis; cum enim frigidum infrigidat, ſeu minuit caloré in ſubiecto calido, non habet virtuté producendi calorem minùs intenſum, ergo. &c.

42. *Gra-*

42. *GRadus, per quos ſit intenſio ſunt ſimiles, ſeu homogenei.*

RAtio eſt primò, quia nulla eſt neceſſitas multiplicandi diſſimiles entitates; ergo omninò ſimiles ſunt ponendæ. Secundò, negari nequit, quod ſi poneretur plures gradus frigoris in manu omninò ſimiles tunc ſentiretur in manu maius frigus, quam ſi eſſet vnicus gradus tantùm. Tertiò cùm ponuntur duo luminoſa eiuſdem magnitudinis,& virtutis, vnum primò illuminat medium remiſsè, ſi afferatur alterum efficiet medium magis, & intenſiùs illuminatum; & tamen lux ſecundi, vt ſupponimus, eſt eiuſdem

intenſionis cum primo: Simile huic eſt illud de ponderibus; nam duo pondera eiuſdem grauitatis magis grauitant, quàm vnum ; baiulans enim magis fatigatur cũ ſuperadditur aliud põdus in gradibus ſimile primo: Sic ſi decẽ aurei habentes ſimùl vnã grauitatis vnciam conflentur in vnum, tantum grauis eſt hic vnus, quantum decem, nec ponderant magis decem, quàm hic vnus; immo ſi aurei eiuſdem ponderis ſinguli imponantur lanci, quo plures addũtur grauitas fit intenſior. Adde tandem quod ſi gradus eſſent hæterogenei iam daretur numerus infinitus partium, ſeu actu infinitum cathegorematicum entitatũ diſtinctarum, quod refugiunt ad-

H uerſa-

uerſarij: & ratio eſt, quia, quæ ſunt actu hæterogenea, actu ſunt diſtincta; ſed gradus in hoc nunc producti non poſſent aſſignari tot quin plures; ergo actu eſſent infiniti, & diſtincti, quod eſt eſſe infinitum cathegorematicum in actu. Aduerto tamen me hic nō negare, dari etiam poſſe talem intenſionem hæterogeneam.

43. S*Imile in qualitate, & gradu non poteſt naturaliter agere in ſimile ſub eadem ratione.*

RAtio eſt, quia ſi lucidum, vel calidum, vt quatuor poſſet agere in lucidum, vel calidum, vt quatuor, poſſet lucidum, vel calidum vt quatuor fieri lucidum,

vel calidum vt octo, immo in infinitum, quod implicat; patet autem ad ſenſum duas faces, ſe mutuo non intendere, & illuminare. Ratio autem à priori eſt, quia finis agentium eſt aſſimilare ſibi paſſum; inuenta autem ea aſſimilatione iam amplius agere non poſſunt, ideoque non poſſunt illud intendere ſupra ſe; ad ſummum autē eo modo, quo poſſunt ſe ſe mutuo conſeruāt, cum, quoad ſecundum eſſe, hoc fortaſsè nō implicet.

HIS tamē non obſtantibus (quæ ſecundum auctoritatem, & communes Auctorum rationes aßeruimus) Concludimus adhuc firmū non eſſe

nullum agẽs poſſe agere in paſſum in quantitate, & gradu ſibi omninò ſimile, vnde dicimus ſpectatis rationibus, & experientijs dari Agentia, quæ agunt in ſibi ſimilia, licet dentur alia eiuſdem rationis, quæ non agant.

RAtio eſt, quia finis Agentium naturalium, & neceſſariorum eſt aſſimilare ſibi paſſum, nõ quomodocumque, ſed per effectum ab ipſis productum, propagando ſe ipſa inquantũ poſſunt, per productionem proprij effectus, per quem paſſum ſibi magis aſſimilẽt; Vnde cum paſſum ſit ſimpliciter aptum ad talem effectum recipiendum, non eſt cur, ſi tale agẽs

debitè applicetur, non producat illum in paſſo, ſibi alioquin ab alio agente aſſimilato; quod experientijs, & ratione probatur. Et primò vtor experiētia luminis, quod manifeſtum eſt intendi à pari agēte, & gradu, immo ab inferiori: ſit enim medium à candela A illuminatum diſtans ab hac per vnum palmum, hoc medium certè illuminatur etiam, vt patet, ab alia ſimili candela B. diſtante à candela A. ex diametro per triginta palmos; & tamen lumē productum in hoc medio eſt minus intenſum, & productum à minus intenſo, quàm ſit illud, quod pręexiſtit in medio, ergo &c. Neque dici poteſt tale agens eſſe intenſius paſſo. Primò; quia vel eſt in-

H tenſius

tenſius quatenus tale agens eſt continuatum cum candela B; Sed contra, quia hoc modo paſſum eſt etiam æque intenſum, quatenus ſcilicet eſt continuatum cum candella A; vel eſt intenſius, quatenus actio luminoſi eſt illa, qua producitur tale lumen, vel lux remiſſior. Sed contra, tum quia actio Solis diſtãs non poteſt attingere talem effectum diſtantem, vt probauimus ſuperius; tum quia lux, & calor, calorem, & lucem per proprias actiones poſſunt pro ducere vt conceditur, ergo gratis ponitur talis actio luminoſi maximè diſtantis in lucem minus intenſam productam. Tandem ſi eſſet tale agens intenſius per talem actionem, poſſet producere

lucem vel lumen intenſius in tali medio, quod non producit. Cōfirmatur experientia luminis, ex reflexione ipſius; ſicut & caloris, frigoris, ſpecierum è ſpeculis reflexarum &c. quæ omnia recipiuntur in eodem medio iam antea non ſolùm æque, ſed magis aſſimilato. Confirmatur etiam; nam ſtellæ videntur in meridie è puteis; & flāma videtur per medium alterius flammæ, ergo agunt in medium magis illuminatum; alioquī vel daretur actio indiſtās; vel ſpecies luminoſæ tranſirent ab extremo ad extremum ſine tranſitu per medium. Confirmatur tandem dicta experientia ex vitris lenticularibus; ſi enim plura Soli, vel diuerſis luminoſis ſi-

milibus

milibus exponas, ita vt radij vniuſcuiuſque vitri coeant in loco vno, apparebit locus ille illuſtrior, & calidior ex acceſſu nouæ reflexionis; & ſi in maximo numero talia vitra addantur, ſeu multiplicentur, locus ille vnoquoque luminoſo intenſiùs etiam illuminatus apparebit. Secundò vtor experientia grauium. Sint duo globi contigui, vt primus recipiat impulſum ab homine, ſecundus à primo, certè ſi ſecundus ille impellatur eodem impetu ab alio ſimili, augetur impulſus, & motus ipſius, & tamen globus prior, reſpectu huius effectus, eſt agens vniuocum, quia impetum, per impetum producit; non enim magis poteſt calor, & lux producere

calo-

calorem, & lucem, quàm impetus alium impetum; vnum enim graue, v.g. vt quatuor modo maiorẽ, modo minorẽ habet impulſum, vt patet in globulo è ſclopo, maximo impetu emiſſo, & imprimente maximum impulſum in corpus obſiſtens: Neque hic, & in alijs ſimilibus recurri poteſt ad cauſas æquiuocas. Primò, quia hæc locũ non habet in noſtro caſu. Secundò, quia inſtari poſſet à pari; quare ſcilicet cauſa æquiuoca poſſit agere in omnimodè ſibi ſimile, in ſubſtantia ſcilicet, qualitate, & gradu; & non cauſa vniuoca? cum præcipuè vniuerſalitèr intelligatur illud axioma: Agentia naturalia agere, vt aſſimilent ſibi paſſum. Quod autem obijcitur, in

actio-

actionem ſimilis in ſimile ſequuturum augumentum qualitatum finitè, in infinitum; hoc non ſemper verum eſt; & in luminoſis, vbi maior videtur difficultas, cum lux contrarium non habeat. Dico lucem eandem productam à luminoſo in luminoſum, ita produci, vt ſemper minuatur, & decreſcat; cum enim lumē à luminoſo, A, reflectitur ad ſuum principium, ſaltem mediatum, ſcilicet luminoſū B, ſic aliquando reflectitur, vt vix ad illud poſſit amplius peruenire, vt patet in omnibus qualitatibus, quæ quo magis protenduntur, eò magis minuuntur, & decreſcunt.

44. *ELemẽta non ſunt formaliter in mixtis perfectis.*

RAtio eſt, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas; nam forma propria mixti per ſe exigit omnes qualitates illas, quæ inſunt mixto, vt patet, ergo fruſtranea eſt alia forma ſubſtantialis.

45. *RAritas, & denſitas conſiſtit in aliqua qualitate, quæ exigit indiſpenſabiliter talem vbicationem.*

RAtio eſt primò, quia res per additionem nouæ qualitatis, ſcilicet impulſiuæ (vt in proiectis, &c.) fit ſucceſſiuè occupans

maius

maius ſpatium priori; ergo res per additionem alterius qualitatis ſimilis (vt in rarefactione) poterit occupare tota ſimul maiùs ſpatiũ priori. Adde quod, cum res eadem mutetur in ratione extenſionis terminatæ, ſeu figuræ, cur non poterit etiam mutari eadem in ratione maioris, vel minoris extenſionis? Secundò hac præciſè intellecta omnia optimè ſaluantur: eandem verò rem ſubſtantialiter, ſeu entitatiuè inuariatam poſſe occupare per diuerſas vbicationes modo maiùs, modo minus ſpatium non eſt abſurdum, vt patet in anima rationali, & fortaſsè æquè clarè in aere, modò maius, modò minus ſpatiũ occupãte, nullo vacuo in rerum natura in-

ter-

tercedente; patet etiam in qualitatibus reflexis, quæ occupant minorem locum, quàm ſi recta proceſſiſſent, & tamen ſunt materiales: ſic eadem res ſubſtantialiter inuariata poteſt in ſententia multorum modò maiorem, modò minorem habere quantitatem. Vbicatio enim cum ſit id, per quod res magis, vel minus extenditur in ordine ad ſpatium, ſicuti res per maiorem calorem redditur magis calida; ſic per maius vbi redditur magis extenſa, forma enim maior reddit in illa ratione, in qua eſt, ſubiectum maius: Sic quantitas, quæ non menſuratur loco per ſe ipſam, ſed per vbi ſuperadditum, qualis erit vbicatio, taliter ipſa denominabitur extenſa; nam licet

quantitatis ſit ponere partes extra partes, ſcilicet non compenetratas, tamen vbicationis eſt talē extreitatem partium in ordine ad ſpatium formaliter determinare, quod quidem eſt notādum; nam effectus quantitatis conſiſtit in indiuiſibili, eſt nempè reddere naturalitèr rem impenetrabilem cum alia eiuſdem ſpeciei; ſicut & partes eiuſdem impenetratas; quod non poteſt ſuſcipere magis, & minus; non enim poteſt vna res eſſe magis, vel minus penetrata cum alia, neque habere ſuas partes magis impenetratas, quàm alia; in hoc igitur nullo modo poteſt res intendi, vel remitti; augeri tamen & remitti poteſt in ordine ad vbicationem maiorem,

vel minorem, vt patet in anima; in Angelo, in re quacumque replicata; in qualitatibus reflexis &c.

46. *Poteſt Mundus, et creatura permanens produci ab Æterno.*

Ratio eſt, quia nulla apparet repugnantia, ex quo capite repugnet; nam non ex eo, quod ſit productio; Pater enim Æternus generauit Filium ſuũ ab æterno; non ex parte creaturæ; hæc enim per hoc non eſſet infinita, niſi ſecundum durationem à parte ante, & hanc participatam; Animæ enim, & Angeli durabunt per totam æternitatem à parte poſt; & tamen non habebunt infinitatẽ repu-

repugnantem. Confirmatur, nã quæro, an nunc Deus ſiſtat per cognitionem in aliquo inſtanti, ante quod cognoſcat ſe talem creaturam producere non poſſe, vel potuiſſe; non poteſt dici quod ſiſtat, quia ante illud eſt aliud inſtans in quo potuit creatura produci; ergo dicendum eſt in nullo ſiſtere, ergo in hoc nunc cognoſcit Deus ſe poſſe, vel potuiſſe creaturam producere, vt incipiẽdo ab hac hora, & retrocedendo nunquam ſit inuenire principiũ ipſius inceptionis, quare igitur ſicut in hoc nunc cognoſcit Deus talem interminabilitatem in productione Filij Diuini ideoque ab æterno; ſic etiam hanc interminabilitatem agnoſcẽs in creatura,

 hanc

hanc ab æterno nō agnoſcet? Ad-
de quod de ratione cauſæ, & ef-
fectus etiã liberi non eſt exclude-
re ſimultatem durationis, vt pa-
tet in Sole reſpectu lucis, &c. Fa-
tebor tamen contra concluſionem
vrgeri poſſe difficile vnum, vel al-
terum argumentum, ſed quia ni-
mis probans, ideò nullum eſſe de-
monſtrauius.

47. NON *implicat (ſtan-*
do præciſe rationi-
bus, quæ afferuntur) creatura
eſſentialiter indeſtruibilis, per
ordinem tamen ad liberum, &
verum Dei decretum taliter cō-
ſtituta.

RAtio eſt, quia poteſt Deus nūc
mihi reuelare omnes creaturas

nunc exiſtentes conſeruandas eſſe per totam æternitatem, ideoque, & hæc reuelatio vna erit & ipſa ex conſeruandis; ſed in hoc caſu talis reuelatio eſſentialiter dicit talem conſeruationem, nam hæc reuelatio eſt eſſentialiter vera, & eſſentialiter cōformanda ſuo obiecto, quod repræſentat, nempè ſui æternam conſeruationem, ergo eſſentialiter eſt æterna, ideoque, indeſtruibilis eſſentialitèr; implicat enim, quod pro aliquo euentu exiſtat talis reuelatio, & non repræſentet talem conſeruationē æternam, cum hęc ſit terminus talis relationis, ſicut & implicat talem actum repræſentare exiſtens nunc decretum Dei de tali conſeruatione, & talo decretum non exi-

ſtere, cum ſupponamus talem actum eſſe ſupernaturalem fidei, cui falſitas ſubeſſe non poteſt, ergo &c.

48. *NON implicat creatura habens virtutẽ natura ſua ad creandum.*

Ratio eſt, quia nulla affertur ſolida implicantia; hoc enim non argueret infinitatem; nam per hoc quod poſſit creare non ſequitur, quod habeat virtutem ad creandum omne creabile; ſicuti ex eo, quod ignis habeat virtutem producendi, & ego habeam virtutem cognoſcendi, non ſequitur, quod ille, & ego habeamus virtutem, & producendi omne producibile, & intelligendi omne

intelligibile, ex innata, & propria virtute naturali. Quod vero reponitur creationem tendere ad ens, in quantum ens, falſum eſt; nam creatio non magis formam ipſam totam extrahit à non eſſe, quàm eam extrahat eductio, tam enim nihil fuit in materia de forma equina, quàm de rationali; nec materia, quæ præcedit, minus diſtinguitur à forma educta, quàm cauſa creans à termino creato; quod autem ei vniatur non obeſt, nam etiam animus rationalis vnitur materiæ; diuerſitas enim ſolum conſiſtit in eo, quod ſubiectũ concurrat ad eductionem, non verò ad creationem, quod nihil plane conducit, vt magis, vel minus eius terminus ſit ens, aut

non ens, vt manifeſtum eſt.

49\. NON implicat (ſpectatis rationibus, quæ afferuntur) potentia materialis vitalis cognoſcens obiectum ſpirituale.

RAtio eſt, quia non affertur, ſolida implicantia. Et probatur à pari primò, nam non magis diſtat materiale à ſpirituali, quam creatum, & potentiale ab increato, & ſummè actuali; ſed creatum poteſt cognoſcere increatũ, ergo materiale poterit cognoſcere ſpirituale; potentia enim, & obiectũ non exigunt eſſe in eodem ordine, vt patet manifeſtè. Secundò aqua obedientialiter poteſt eleuari ad producendam gratiã ſpiritualem

rituale, ergo & materiale cogno-
ſcens, ad cognoſcendum ſpiritua-
le. Aduerto tamen me hic non af-
firmare, omne cognoſcens mate-
riale poſſe cognoſcere ſpirituale;
aliqua enim ſunt, cuius obiectum
eſt tantum materiale; ſed tantum
non implicare rem aliquam mate-
rialem, ideſt impenetrabilem, vel
ortam ab impenetrabili cogno-
ſcitiuam obiecti ſpiritualis; nam
materialitas, vel impenetrabili-
tatem dicit, vel dependentiam à
re quanta, ſeu impenetrabili; hoc
autem quomodo arguit, & trahit
impotentiam ad cognoſcendum
ſpirituale? Certè vnio animæ cum
re quanta, ſeu corpore, non im-
pedit cognitionem ſpiritualium,
ergo neq; dependentia à re quãta

impediet, talem cognitionem; immo licet anima habeat naturalẽ connexionem cum re quanta, ſeu impenetrabili, poteſt tamen cognoſcere ſpiritualia, ergo licet alia forma maiorem habeat hanc cõnexionem, ſcilicet à priori cum re quanta, hoc non impediet ſpiritualia cognoſcere.

501. *EX duobus obiectis, quæ continentur ſub eodẽ motiuo formali, poteſt voluntas alterum affectu odij, alterum affectu amoris proſequi.*

RAtio eſt, quia poteſt voluntas affectu efficaci inæqualiter affici circa idem obiectum formale; at ex inęqualitate huius efficacię poteſt prouenire, vt maiora, vel mi-

nora

nora bona, quæ ſub eo obiecto formali continentur, diligantur; grauiora, vel minus grauia mala diuertantur, ergo poteſt voluntas ea inequalitate affici circa obiectum formale v. g. virtutis, vt alio affectu nequeat coniungere vllum affectum efficacem vitij circa obiectum materiale comprehenſum ſub obiecto formali virtutis; alio, quo affectum aliquem vitij efficacem admittat: quo argumento non ſolum oſtenditur voluntatem efficacem vnius obiecti materialis honeſti, poſſe coniungi cum nolitione alterius ſimilis honeſti, verum etiam cum voluntate efficaci obiecti turpis; ad quod nolendum mouet obiectum formale voluntatis honeſtę

v. g. non ſolum poſſe coniugi volitionem honeſtam elargiẽdi quatuor, ex motiuo miſericordiæ, cũ nolitione elicita elargiẽdi decem, verum etiam volitionem iuſtam reſtituendi quatuor, cum volitione iniuſta reſtituendi decem, aut reparandi honorem; nam licet motiuum iuſtitiæ moueat etiam ad reſtitutionem decem, aut honoris, tamen quia vim ſuam motiuam non exercet, niſi iuxta efficaciã, quà voluntas in ipsũ afficitur, poteſt tam debilitèr voluntas in ipſum affici, vt ſolũ extendatur efficacia ad reſtitutionem, vt quatuor honoris alieni, vt vim non habeat ſuperandi difficultates, quæ occurrunt ad reſtitutionem honoris vt decem, atque adeo

cum affectu efficaci iuſtitiæ reſtituendi honorem vt quatuor, iungat affectum iniuſtitiæ retinendi honorem, vt decem.

51. NON *implicat entitas ita conſtituta, vt ex natura ſua fluiditatem amet, & vt proprio genio deficiat, petatque perire, licèt nullo contrario, nec defectu cauſæ impetatur.*

RAtio eſt primò, quia non repugnat cognitio ſupernaturalis, quæ ſui deſtructionem pro tali inſtanti prænuntiet; at talis cognitio, accedente vltimo inſtãti intrinſeco ſuæ durationis, poſtulat poſitiuè vlteriùs non durare, cum intrinſeca ſit ſupernatu-

rali

rali cognitioni veritas formalis;
quæ obiectum, vt ab ipſa enuntiatur, exiſtens, aut abſens deſiderat; ergo non repugnat qualitas; quæ intrinſecè ſui deſtructionem deſideret: Vnde cum tali cognitioni infallibilis ſui deſtructio connectatur, & vlterior duratio ab intrinſeco repugnet eadem ſui mortem non appetere non valebit. Confirmatur: nam ad hoc vt alicui qualitati vlterior duratio connaturaliter repugnet ſufficit perfectionis ipſius qualitatis limitatio. Nam ſicuti maior vbicatio, quàm decem, aut viginti palmorum v. g. rebus perfectione limitatis connaturaliter repugnat; ita poterit eiſdem rebus ex limitatione perfectionis vlterior duratio

tio

tio quàm determinata repugnare. Duratio enim, ſicut vbicatio, proprietas eſt rerum, quæ maior, vel minor, pro maiori, vel minori rerum perfectione conuenire poteſt: & ratio à priori, eſt: quia limitatio rei limitat exigentiam perfectionum ad certam quantitatem, & non maiorem, vt autem rebus maiores perfectiones connaturaliter negentur, ſufficit quod ſummam perfectionem non habeant, vel quod illarum exigentia naturalis deſit: ſic lumen Solis nō perſeuerat ex natura rei abſente Sole; perſeuerat autem calor abſente igne, quamuis æquè bona ſit vtrique exiſtentia in abſentia cauſæ, omneq; contrarium, aliunde cauſa deſtructionem inducens æq;

vtrique deſit, ſolum quia calor ex peculiari conditione ſuæ naturæ poſtulat exiſtẽtiam abſente igne; lumen verò non poſtulat abſente Sole. Solus ergo defectus ſummæ perfectionis, & exigentiæ conſeruationis rei, ex peculiari conditione ipſius, poterit etiam eſſe cauſa ſubtrahendi naturaliter influxum in illam. Quod certè vrgetur in qualitatibus ſupernaturalibus liberalitèr, & gratuitò à Deo infuſis, & conſeruatis, non petentibus ſui conſeruationem, ideoq; cum per meram Dei voluntatem illæ deſtruantur, naturalitèr deſtruentur, cum vlteriorem durationem non exigant, alioquin nõ amplius eſſent ſubſtantiæ rationali gratuitæ, ſed debitæ. Probatur

ſecun-

ſecundò quia actus ſpei, præcipuè ſupernaturalis, in aſſecutione boni petit amplius non durare; ſimiliter duratio à re durante diſtincta eſſentialitèr fluere poſtulat. Probatur tertiò, poteſt cauſa ob ſuam imperfectionem ſine aliquo alio defectu, vel contrario ceſſare à continuatione actionis, vt patet in graui, quando moratur; ergo ſimiliter ex propria imperfectione res aliqua ſe ipſa peribit. Probatur tandem, quia poteſt cauſa ſecunda actum, quem conſeruat, ſine vllo cõtrario liberè ſuſpẽdere, ideoq; talis actus naturaliter peribit; vlterioremque durationem non attinget, vt patet in voluntate libera, ergo, & cauſa prima; pro

ſolo

ſolo ſuo libito negans vlteriorem concurſum, vel durationem effectui, nullam huic inferet violentiam, cur enim licebit cauſæ ſecundæ ſine violentia negare conſeruationem ſuis effectibus, non autem primæ: ergo poteſt dari entitas, ſine defectu cauſæ, vel contrarij, connaturaliter euaneſcens, & fluida, quod erat demonſtrandum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

49.
BIBLIOTECA